



B. N.  
358.

*Xi. 131.*













NATAL. JOSEPHI PALLUCCI

AUGUSTISS. IMPERATORIS, ET IMPERATRICIS  
REGINÆ CHIRURGI, ACADEM. REG. SCIENT.  
ET REG. CHIRURG. PARIS.  
CORRESP., &c.

METHODUS  
CURANDÆ FISTULÆ  
LACRYMALIS.



---

VINDOBONÆ,  
TYPIS JOANNIS THOMÆ TRATTNER, CÆSARINÆ  
REG. MAJESTATIS AVLÆ TYP. ET BIBLIOP.

---

MDCCLXII.



NATALI JOSEPHI PALLUCCI

AGROTORUM HISTORIÆ ET IMPERII  
HISTORIÆ CHIRURGICÆ ACADEMIÆ REGIÆ  
ET REGIÆ CHIRURGICÆ  
PARISIENSIS

METHODUS

CURAM ET TRACTAMEN

KOEN. FRIED.  
UNIVERS.  
ZU HALLE

LONDON  
JOHN BARNES, ST. PAULS CHURCH-YARD  
1807








## PRÆFATIO.

---

 Cum Fistula Lacrymalis, canthum Oculi majorem, five angulum interiorem occupans, dirum morbi genus constituat, nedum visum hebetans, sed & formæ speciem magnopere lædens, incredibile est,

en

A 2

quans

P R Æ F A T I O.

quantum studii, atque laboris, viri etiam in arte celebres impenderint, ut & morbi hujusce naturam detegerent, & media queis succurrerent, pro voto statuerent: Ast plane dolendum eos, qui multa fane in utrumque finem propofuere, scopum hætenus non attigisse. Si ve enim nomenclaturam confideres, five Fistulæ Lacrymalis ætiologiam inspectam habere desideres, tot ex auctorum, opinionumque discrimine emergunt tenebræ, ut quaquaversum oculos convertas, quid sit, unde, & quo suo vocetur nomine



P R Æ F A T I O.

ne adhuc ignores. Idem fermè dicendum de propositis curæ methodis, multis quidem, at nulla planè, quæ facili, & integræ curationi hucusque sufficiat. Quod cum ipse viderim, ac frequenti exercitatione, velut manibus contrectaverim, deesse non potui, quin aliam ab aliis ineundo viam, eò me verterim, unde Fistula lacrymalis trahit generis; ut clara mihi, juxta monitum summi Hippocratis, idea morbi comparata, ejus proinde curæ tutius perficiendæ sufficerem.

Cum igitur quodvis morbi genus

A 3 ni.

P R Æ F A T I O.

nihil aliud fit, quam impedita, vel læsa partium functio, ideo apprimè institi contemplationi fabricæ, nec non usus illarum partium, ex quarum affectione Lacrymalis Fistula oritur. Partium ergo fabrica, usuque sedulo examine exploratis, cum ad morbi ætiologiæ intelligentiam pervenerim, longè sanè facilius, quam quavis alia antehàc auctorum lectione; facili quoque negotio media mihi pro Fistulæ cura sese obtulere; quæ multiplici successuum fortuna optima confirmantur. Quamobrem indies vel ipse  
con-




P R Æ F A T I O.

confirmor, ad artis emolumentum,  
& ægræ humanitatis commodum,  
referre maximi singulare in partium  
fymmetriam, usumque studium. Cui  
planè si proclive illud, atque instru-  
ctum eorum accedat ingenium, qui  
sua provide inventa, ea qua par  
est, prudentia ad praxim revo-  
cent, meliora adhuc indies sperare  
licebit. Dum econtra maximope-  
rè verendum, ne illorum, ex inge-  
nio, & animositate damna ingruant,  
qui solummodo ex visa, vel lecta  
aliorum curandi methodo, absque  
eo quod vel minimum proprii exa-

P R Æ F A T I O,

minis, diligentiae atque laboris ad-  
jungant, audaces manus operi ad-  
movent: qui proinde cum ferme  
empirice agant, de iis etiam, (ma-  
xime curarum ex eventibus) evin-  
ci potest, nullam plane claram  
morbi, distinctam, & adaequatam si-  
bi ideam comparasse.



CA-





## CAPUT I.

### *De viis lacrymalibus.*

**C**um sine viarum lacrymalium intelligentia percipi nequeant, quæ de Fistula Lacrymali, ejusmodi partes invadente, dicenda occurrunt, hinc ab earum tractatione arbitror incipiendum. Et primo animadvertendum est, lacrymales vias eo nominis ab Anatomicis nuncupari, quod lacrymis absorbendis (prout ipsi putant) & in faccum, lacryma-



lem dictum, deferendis, hinc in antrum narium evacuandis destinatae sunt: quemadmodum & urinæ viæ, seu viæ urinariæ dicuntur, quod urinam, a sanguine in renibus secretam, deferant ad vesicam, indeque extra corpus deducant.

Quæ vero sit naturalis figura, qua viæ lacrymales donatae sunt, repræsentare eo difficilius, quo magis singularem a natura fortiuntur. Si cui diligentiore earundem imaginem debeamus, hanc profecto Cl. Professore Zinn, sua in accuratissima descriptione de oculo humano. Injecta ipse cera, sin prout in statu vero naturali sunt, repræsentarit, saltem videre dedit sub ea forma, quam præferunt, dum collectis lacrymis turgent. Ut ut vero

pe-



per arduum opus, conabor ipse vias Lacrymales ante oculos ponere, prout integræ sunt, atque aliis partibus segregatæ (Tab. I. fig. 1.): mox per medium scissas (Fig. 2.): præterea oculo tantummodo appensas (Fig. 3.): denique in situ vero (Fig. 4.) Componuntur viæ lacrymales duobus tubulis, five canaliculis, a quibusdam cornubus Limacis comparatis; præterea uno vel tubo majore, in quem priores confluunt, ut videre est eadem figura prima. Tubus ille major, non dissimilis infundibulo, distinguitur in partem superiorem ampliorem, & in partem inferiorem exiliorem. Amplior illa pars superior dicitur saccus, in quem bini tubuli confluunt, qui ab angustis Punctis lacrymalibus procedunt. Tubi majoris



joris extremitas superior, quæ fundum facci æmulatur, omnino clausa est. Extremitas autem inferior parvo orificio in membrana narium, infra ultimum os tubinatum hiat, prout repræsentatur Tab. I. fig. 4. Ubi a puncto lacrymali superiore inductus stilus in tubum, inde ad usque narem descendens, initium, continuationem, & finem viarum lacrymalium ostendit.

Sitæ sunt viæ lacrymales partim in limbo utriusque palpebræ, partim pone concursum, atque ligamentum earundem; pro maxima parte vero in canale osseo, brevi describendo. Diductis ac parumper inverfis palpebris, non procul ab earundem concursu interiore animadvertitur, in singulæ palpebræ limbo interno, monticulus albi-



albicans, ferme cartilagineus, parvulo in sui centro, siue apice, foramine instructus, diciturque Punctum Lacrymale, quorum unum superius, alterum inferius extat. Ubi vero clauduntur palpebræ, etiam ipsa Puncta ferme mutuo se tangunt. Ab hisce Punctis producuntur bini illi canaliculi, cornubus Limacis, prout dixeram comparati: reptant in ipso limbo palpebrarum, & solummodo subtili alba membrana teguntur. Ad locum Carunculæ cum deveniant, retrorsum quodammodo se inflectunt, continuata tamen directione, pene horizontali, in tubum majorem confluunt, cui paululum antè innectuntur. Videntur, ante eorum ingressum in tubum, extrinsece copulari; intrinsece vero septo divi-



divisi, illuc perveniunt. Superior pars tubi majoris, five dicatur faccus, incumbit fulco, in osse unguis insculpto. Reliquum tubi fuscipitur ab eo canale osseo, in quem ipse fulcus denique abit. extremitas autem inferior ejusdem tubi inhæret membranae, parietes narium investienti.

Ut vero de fulco, & osseo canale, in quem ipse fulcus abit, adhuc dicamus: utrumque comparari potest calamo, ita ferme dissecto, ut ad scribendum præparatur: sua longitudine producit ad lineas fere 15. Pro dimidia sui parte, nempe superiori, quæ limbum internum orbitæ respicit, dissectus, vocatur fulcus, qui in osse unguis insculptus est, & in eo hæret faccus lacrymalis. Pars fulci inferior abit



bit in canalem osseum, fere cylindricum, in quo Tubi Lacrymalis reliquum continetur. Aliquando canalis ille circa sui medium constringitur, interdum vero ibidem versus externum latus expanditur, quod præcipue in his vidi, qui sinum nasum habent. Non raro etiam canalis coarctatur in ipso ingressu superiori. Ape rtura sulci oculum respicit, fundus autem ejus situs est in pariete antri nasalis, in quo pariete & reliquus canalis osseus locatus est, directione ferme perpendiculari, nisi quod circa medium parumper ab hac perpendiculari linea deflectit, ad quam tandem iterum vergit inferius. Si excipias portionem anteriorem canalis ossei, quæ ab osse maxillari superiore coalescit, quæque



portio durior est, reliquum ejus fragilis est naturæ, & ubique foraminulis, maxime in infantibus, refertum. Ejusmodi foraminula cum proxima crassa membrana communicant pituitaria, quæ nares ab una parte investit, ab altera vero antrum Higmori dictum, inter quas cavitates canalis fitus est.

Hicce expensis, quæ viarum lacrymalium intelligentiæ interfunt plurimi, de ipsarum modo structura agendum. E subtili admodum membrana, quam plane nerveam ex ejus colore diceres, ii duo tubuli superiores, qui a punctis lacrymalibus supranotatis producuntur, resultant. Antequam vero in saccum confluant, ex crebris vasculis sanguineis intervenientibus non leviter rubere incipiunt. Totus autem tubus major, præsertim

ea



ea parte, qua saccum vocant, ob affluentis sanguinis copiam maxime rubet. In ejus cavitate quamplurima extant glandulosa granula alba, pone mollem, atque subtilem membranam locata. De cætero interior membrana hujus tubi non differt a membrana pituitaria, quæ nares investit; quinimo oculis se prodit, ac si ejus productio foret. Reptant in superficie sacci lacrymalis, ipsumque pervadunt, innumera propemodum vascula cujuscunque generis, maxime vero rubra, quæ nedum productiones sunt carotidis, & jugularis externæ, sed etiam carotidis internæ. Estque præterea singularis ramulus, modo ab infraorbitali, modo vero ab ophthalmica nascens, qui cum ad Saccum pervenerit,

B

nerit, juxta tubum lacrymalem in narem usque descendit; quem saneramus notavit etiam Ill. De Haller. \*

Refert maximi, cum ad explicanda plura phænomena, quæ viis lacrymalibus in integro statu, magis vero in morbofo contingunt, tum ad curam rite instituendam, quotiescunque adest occasio morbi, refert, inquam, maximi, probe intelligere, quibus partibus connectantur, queis adhæreant, quæ tandem viis lacrymalibus partes superjaceant. Et quoad primum, connectuntur duo illi canaliculi ipsa cum substantia utriusque palpebræ, ab extremo tarfi ad usque angulum, quem ipse palpebrarum concursus constituit

Dein-

\* Icon. Anat. Fasc. III. p. 15.



Deinde investiuntur densa tela cellulosa, donec in vicinum sacco, pone Ligamentum Palpebrarum decurrentes, perveniant.

Dignum sane, quod hic notetur, illud Ligamentum est (Tab. I. Fig. 4.) Eo etenim firmantur Palpebrarum extremitates, cum radici nasi ope ejus connectantur, Ita ut si incaute in operatione, pro cura Fistulæ Lacrymalis instituta, discinditur, quod sæpissime contigisse vidi, observatur etiam concursum, sive angulum Palpebrarum a radice nasi longius consueto distare, vacillare, & partis symmetriam notabiliter deformare. Inducunt hunc in errorem, vel ignorantia decursus ejus Ligamenti, vel defectuosæ illæ figuræ, quibus summi vel nominis Au-

ctores modum repræsentare voluerunt, quo ipsa operatio institui debeat. Hoc defectu nec ipsa caret tradita figura a Cl. Heistero: \* Nam si prout ille docet, culter ducatur a puncto superiore (c) ad inferius (b), tunc certe secatur illud Ligamentum, in ea præcise parte, five puncto, ab eomet indicato sub lit. (c) id quod perfunctorie dictum sit.

Saccus vero, cui præfati canaliculi inferuntur, reliquusque tubus lacrymalis firmiter adhærent periosteo, fulcum, osseumque canalem investienti, ex quo etiam recipiunt innumera filamenta, & vascula sat conspicua. Hoc periosteum, fulcum, & totum osseum canalem investiens, progreditur ex

\* Inf. Ch. Edit. in 4. Amstelæd. 1729. Tab. XVI. f. 19. litt. c. b.



fundo orbitæ: illud autem, quod ex radice nasi ad limbum internum sulci descendit, non inflectitur in sulcum ipsum, ut substantiam osseam sequatur, sed ascendit supra saccum, in sulco eodem hærentem, confundique videtur non solum cum sacci ejusdem superficie externa, verum etiam cum fibris tendineis, ac nerveis, & stratis membranaceis, quæ undequaque procedunt, quæque vel saccum ingrediuntur, vel tantum ipsi incumbunt. Hinc probe noscitur causa, quare tanta sit resistentia externi ejusdem sacci parietis, cum per menses & annos interdum contentis, magnaque copia collectis humoribus resistat, quin rumpatur. Præterea ex concurrentibus fibris nerveis intelligitur, cur adeo doleat interior angulus

lus oculi, dum a fufpenfis humoribus tumere incipit.

Eadem pars superior tubi, five faccus obducitur etiam multa pinguedine, fibris mufculi palpebrarum orbicularis intermixtis, tegiturque denique communibus omnium partium tegumentis. Altera autem pars minus ampla, five pars tubi inferior, nuda fufcipitur a canale offeo fuperius defcripto: & ubi ad finem hujus pervenerit, inferitur membranæ naris, ac foramine parvo, ut fuperius dictum eft, intra nafum aperitur. Reptant vel fupra faccum, multosque illi ramulos diftribuunt, plura vafa rubra, quorum decurfum fedulo animadverti meretur, dum Fiftulæ lacrymalis cura inftituitur. Abfque enim ea, qua par eft, in opere  
cau-



cautela, non levis momenti infortunia interdum contingerent, ob læsionem majoris arteriæ; id quod maxime in proclivi est, ubi cura aggreditur in corporibus, sanguine valde repletis. Vasa hæc nitide, ac perutiliter, in proprio situ repræsentavit Cl. Hallerus\* una cum præfato Palpebrarum ligamento \*\*. Verum ubi sectio fiat ea nostra methodo, postea describenda, nulla plane arteriæ, neque ligamenti læsio timenda superest. Præter ea magis conspicua vasa, undique ferme in ipsum saccum, variformi directione, (ex pinguedine, ex glandulis intra membranam conjunctivam, & Palpebras, & orbitam locatis) innumeri vi-

B 4

den-

\* Icon. Anat. Fasc. III. Tab. Art. fac.; & Fasc. VII. T. VI. f. I.

\*\* Fasc. VII. Tab. VI. f. I.

dentur confluere ductuli, humores afferentes. Hinc intelligitur, cur ab obstructo tubo lacrymali palpebræ subinde adeo tumeant, atque inflammantur.

Nunc seduliori adhuc opera viarum lacrymalium usum expendere necesse est: Omnes ferme auctores, qui materiam hanc contemplati sunt, decernere videntur, præcipuam viis lacrymalibus functionem esse, humorem, oculum inter atque palpebras ex ultimis arteriis lymphaticis, ex glandulis, meibomianis dictis, e glandula ipsa innominata secretum, ne sub forma lacrymarum ad genas continue decidat, faciemque deformet, ipsum ope punctorum lacrymalium perpetuo absorbere, in saccum transferre, inde ad narem evacuare. Quam-



Quamvis sententia hæc penes fere omnes invaluerit, cum sequentibus tamen aliquomodo pugnare videtur, quæ jugi observatione edocti sumus.

1. Si viæ lacrymales sint, prout in statu naturali, ubique apertæ; tunc quidem collyria ad majorem oculi cantum, inverso capite, instillata, descendunt per ipsas vias in nares, ac in palatum; quamobrem & sapor, & ipsa collyrii substantia a papillis nerveis, gustui inservientibus, percipiuntur. Argumento id est, quod in statu naturali sit revera aditus humorum ex oculo ad cavitatem narium. Hinc etiam possibile noscitur id, de quo aliqui gloriabantur, alvum nempe se movere posse solis collyriis in oculum instillatis.

2. Æque per narem in tubum la-

crymalem injecta collyria ascendunt, nec non per puncta lacrymalia exeunt, quod primo innotuit Cl. Morgagni, qui vias lacrymales longe accuratius, ac antea factum ab aliis fuerat, in suis eruditissimis Adversariis descripsit. Aër vero per eundem tubum adhuc facilius ascendit; quod manifesto in iis patet, qui nares vel emungunt, vel studio constringunt: tunc enim canthus major oculi notabiliter ob aerem ascensum turget: ob eandem rationem fumus tabaci interdum per puncta lacrymalia exit, dum os, & nares simul coarctantur. 3. Verum in iis, qui plorant, vel quibus aliquod corpusculum in oculum illapsum est, tunc, si palpebrae invertantur, ut pateant ipsa puncta lacrymalia, videre est

un-



undam ferme humoris ex ipsis prodeuntem. At sequentia adhuc vidimus, quæ non parum communi de earumdem viarum functione opinioni detrudere videntur.

4. Si fila inderemus punctis lacrymalibus, traduceremusque per nares, ut frequenter facimus juxta nostram Fistulæ lacrymalis curandi methodum etsi inde ferme penitus obturarentur ipsa puncta, tamen nihil humoris in oculo colligebatur, nulla lacrymatio aderat, nisi magna ad lacrymas effundendas prædispositio esset.

5. Præterea in exercenda circa oculorum morbos arte, non infrequenter vidimus, modo unum, modo utrumque punctum lacrymale penitus impervium; imo actu quo hæc scribimus

idem observari datur, occasione pertinacissimi Pterygii, ipsis punctis lacrymalibus supercreti: Interim neque in hoc subiecto, neque in aliis ullam lacrymationem animadvertimus.

Ex adnotatis igitur num. 1. 2. 3. manifesto apparet, illud reciprocum commercium, quod oculum inter & nares ope viarum lacrymalium intercedit; quo fit, ut si humores extent in cantho oculi majore, per easdem vias facile in narem descendant; si autem in nare, vel in ipso tubo lacrymali retenti, tunc per puncta lacrymalia redundant. An vero illud commercium, ideo a natura institutum, ut humores in cantho oculi majore collecti, a punctis lacrymalibus perpetuo sorbeantur, est sane, de quo minime



me convincimur, ut enim convinceremur, deberet primo nobis clara atque perspecta esse illa humorum in angulo interiore oculi fani exuberantia, quam nemo huc usque demonstravit, neque forte demonstraturus erit adversus experimenta superius No. 4. & 5. allata, præter alia multa, quæ adhuc in promptu essent.

Unde igitur (quæret aliquis) illa humorum copia, quæ dum tubus lacrymalis inferius obstructus est, per puncta lacrymalia redundat? nonne (dicet) hæc ab obsorpta prius in oculo ab ipsis punctis lacrymalibus lymphæ dependet? At responderi poterit: amplitudinem sacci atque totius tubi lacrymalis, qui nullam habent proportionem cum illis parvis canaliculis, qui a punctis lacrymalibus oriuntur; mul-

multitudinem præterea vaforum, ac tubulorum, qui ex universis vicinis partibus in saccum ipsum concurrunt, fat rationem reddere, unde veniant illi humores, qui in sacco colliguntur, quique, presso eo, per puncta lacrymalia redundant. Natura, quæ nihil absque mensura, & sine directo fine agit, non saccum effecisset, totumque tubum adeo amplum, si soli tantummodo humori recipiendo, a binis illis tubulis allato, inservire debuisset, fecisset enim quid superflui, quod naturæ agendi modo repugnat. Siquidem nec ad humorum moram amplitudo ea videtur naturaliter destinata; mora etenim humores in sacco inspissarentur, & minus postea apti essent exitui per inferius tubi lacrymalis foramen; quod æque



que naturæ fini adversaretur, quæ omnia ad melius esse disponit.

Ideo non alia ratione natura videtur formasse saccum, totumque tubum adeo amplum, nisi ut aptior esset majori recipiendo numero vasorum ac tubulorum, humores a capite, a fundo orbitæ, a vicinis partibus afferentium, ut per hunc tubum lacrymalem evacuentur illi humores, vel deorsum, vel etiam sursum; deorsum prout in statu naturali, sursum vero in statu, ut ita dicam, violento; quod in ploratu, vel dum quid in oculum illabatur, experitur. Forte ne de oculorum siccitate ideo conqueruntur illi, qui in aërem pulverulentum incedunt, quod habeant puncta lacrymalia, vel tubulos ipsis contiguos obstructos? Probabile

bile sane id videtur. Attamen pro corrigendo eo vitio nullam plane operationem proponemus, nec ab aliis propositam, et si ingeniola sit, adoptabimus. Arduum enim, ac perdifficile esset, si a natura, vel a morbo coaluerint, iterum patula reddere, & adhuc difficilius aperta servare.

Denique præterquam quod statuamus, humores, qui in sacco lacrymali fecernuntur, aliunde, saltem pro maxima parte, illuc influere, quam a binis illis canaliculis, qui a punctis lacrymalibus oriuntur, addimus, eosdem humores intra tubum lacrymalem, etiam sanissimum, posse facile in mucum converti; quod non tantum ex ejusdem tubi structura, narium membranæ comparata deducimus, sed etiam

am



am ipsa ex experientia, cum sæpissime intra eundem tubum verum mucum invenerimus, & se invenisse asserit etiam Cl. Zinn (\*). Hinc patet, quam necesse sit, ut maneat semper aperta via inferior, seu colatorium facci, & quam verendum, ne humor ille valde indurescat ( prout de mucu narium contingit ), obstructionemque faciat, sola arte vincendam.

Hæc de viis lacrymalibus præmississe sufficiet. Nunc de præcipuo earundem vitio, nempe de Fistula lacrymali dicta.

---

C A P U T II.

*De Fistula lacrymali.*

**Q**ui Fistulam dicit (ipso vel docente Galeno) tubum dicit. Verum

\* Descript. Anat. Oc. hum. pag. 257.



rum usus invaluit, ut (dictante Celso \*) *Fistulæ* nomen daretur *Ulceri alto angusto calloso*, nempe tubo contra *machinæ* Symmetriam in carnibus hi-anti. Quod cum sine continui solutione contingere nequeat; sitque continui quævis solutio penes antiquos ulceris species, ideo præprimis dixerunt *Fistulam* *ulcus* esse; præterea *altum*, ut ductum seu tubum in carnibus effossum indicarent; *angustum* vero, quia *revera* ingressus fistularum reliquo angustior est; denique *callosum*, ut hæc solutionis species a reliquis, nempe a vulneribus, ubi *durities* illa non adest, distingueretur.

Verum etsi ita definiatur *Fistula* generatim sumpta, non idem tamen de *Fistula lacrymali* judicandum, quæ  
lon-

(\*) De Medicina lib. V. cap. 28.



longe alios ut plurimum caracteres habet. In cœteris enim ulcus, tubus, callus quodammodo ubique inveniuntur, hic vero rarissime. Ordinario enim in Fistula hac, humorum exitui inserviunt ipsi tubuli, punctis lacrymalibus contigui; qui forte ab iis ignorabantur, qui primum huc Fistulæ nomen induxerunt. Præterea effluens ex hisce punctis humor, licet a multis pro Ulceris recremento habeatur, unde ulcus statuatur, ejusmodi tamen ut plurimum non est, sed naturæ, ut postea videbitur, penitus diversæ. Ideo sæpissime decipiuntur, qui ducti ab illa generaliori Fistulæ definitione morbum curare aggrediuntur, longe plane alium ac putent. Perperam igitur muniuntur igne, ferro, & potentissimis re-



mediis, quibus nonnunquam id mali excitant, quod non extitit prius.

Modo vero cum de statuenda Fistulae lacrymalis natura præcipue hic agatur, superfluum esset indagare, quo sensu antiquos adoptasse hæc vocabula *Anchylops*, *Ægylops*: Adnotasse sufficiet recentiores plures dari, qui promiscue iis utuntur vocibus, modo pro indicando tumore, nondum aperto, in cantho majore oculi, a collectis in sacco lacrymali humoribus, enato, modo vero pro denotando tumore eodem aperto, humoresque extillante, quod ultimum pro Fistula lacrymali completa habent. Ideo non abs re fore credimus, si in definienda hac Fistula lacrymali, dicamus: *esse præternaturalem ad angulum interiorem oculi, ob*  
*infe-*



*inferius obstructum tubum lacrymalem, humorum redundantiam; ex qua modo tumor, modo vero perpetuum scilicidium ibidem contingit.*

Allatæ definitioni præcipuam morbi causam, nempe tubi obstructionem adjecimus, ut humorum redundantia, de qua hic sermo est, distingueretur ab aliis humorum redundantis, quæ interdum sine hac ipsa obstructione occurrunt, vel ob illapsa in oculum hæterogenea, vel ob exesam glandulam innominatam, vel ob exulceratam ac fistulosam corneam, vel etiam ob meram laxitudinem exhalantium arteriarum: ex qua ultima causa præsertim illa oritur species Epiphoræ, sive lacrymationis, quæ & sine ulla phlogosi nonnunquam subsistit, quæque minus



recte ab aliquibus pro lacrymali, Fistula accipitur. Præterea diximus esse præternaturalem ad angulum interiore[m] oculi redundantiam, quia cum humores nequeant deorsum in narem dilabi, ideo coadunantur in sacco, & mire eundem inflant, vel etiam per puncta lacrymalia ad oculum, atque genas usque, maxima cum visus, ac venustatis jactura, fœde redundant.

Ex hætenus descripta Fistula lacrymali licebit intelligere, eandem posse etiam existere absque manifesto, vel occulto ulcere, modo eæ dominantur causæ, quæ tubi lacrymalis inferiorem partem obstruant, quæque sæpissime naturæ ab ulcere penitus diversæ deprehenduntur; quemadmodum ex sequentibus clarius patebit. Et præpripri-  
mis



mis animadverti debet, quod de morbis omnibus afferitur, puta oriri vitiis fluidorum vel solidorum, vel utrorumque simul idem etiam dicendum relate ad Fistulam lacrymalem. Vitia autem ea accurate referre prohibet instituta opellæ brevitās, nec non illorum discussio, quæ majoris intersunt nostra. Tamen ratio suadet, humores perverti ob contractam molem, vel figuram a naturali diversam, vel ob alias qualitates, sive acquisitas, sive præexistentes, inter quas potissimum adnotanda est singularis illa proclivitas, qua humores ferme omnes, hominis etiam sanissimi, in coagulum tendunt, quaque necessario consequitur, quod inspissentur, dum hæreant immobiles. Solidorum autem primaria vitia, a ri-



gigitate sive coarctatione dependere fibrarum, quibus componuntur, vel a nimia earundem relaxatione, æque compertum est.

Quotiescunque igitur humores vi cordis ad ea vasa impulsi, quæ ad constituendos tubi lacrymalis parietes concurrunt, ea non gaudeant mole, cumque vasorum diametro proportionem, quæ requiritur, ut per eadem vasa facile excurrant, in ipsis vasis humores hæreant oportet, indeque impedimento sint libero subsequenti humorum fluxui: quapropter consequatur necesse est obstructio, vasorumque dilatio, ac inflatio. Pro gradu vero, quo tubi lacrymalis parietes inflabunt, minuetur inferioris spatii diameter; imo hac ipsa de causa fiet tubus maxime deorsum, ubi natura angustus est,  
vel



vel pro parte, vel totaliter impervius. Id satis unico si puncto fieri contingat, ut tota functio tubi lacrymalis turbetur: Ex una tantummodo particula crassiore illuc advecta, poterit ibidem obstructio oriri; quo nihil facilius, in iis maxime, qui viscera non ita constituta habent, ut bonos, & aptos ad omnia genera vasculorum, & ductuum permeanda humores præparent, vel qui talia ingerunt, unde requisita humorum attenuatio consequi nequit. Inde innotescunt præcipuæ causæ Fistulæ lacrymalis. Consideremus ab una parte obstructum esse tubum lacrymalem; ab altera vero naturæ esse perpetuo humores ad partes transmittere; dum transmissi humores non poterunt in narem, ob obstructum tubum descendere, vel hærebunt in sacco, vel per



puncta, (si fuerint hæc patula, & humores eam habeant subtilitatem requisitam ad hæc permeanda,) exhibunt, & foede in oculum, & genam redundabunt. Hærentes vero mire faccum distendent, ut inde foedus tumor in cantho oculi majore appareat. Nisi adeo obdurescant parietes, ne amplius humores valeant in faccum transmittere, valde excrescet ille tumor, donec tandem faccus disrumpatur. Tunc adhuc longe magis tumor excrescet, ob humorem per propinquas cellulas effusum. Denique rumpetur & ipsa cutis. Mox per novum hoc cutis Foramen materies in tumore contenta prodibit; & primo quidem subtilior, si foramen fuerit parvum, ut videre est in figura Tab. III. ex naturali desum-



sumpta. Illud vero foramen brevi cicatricem induet, iterumque ob eandem causam aperietur. Nonnunquam id ter, quaterque in anno contingit. Subinde vero nequaquam coalescit, quod vel ob humorum acrimoniam, vel ob consumpta, aut alio modo male affecta solida evenit.

Quanquam ita descripsimus ortum & progressum Fistulæ lacrymalis, a crassioribus præprimis humoribus productæ, adhuc tamen non diffitemur ab aliis multiplicibus causis oriri posse; præsertim si non tantum mole, sed Figura humores peccent. Quælibet etenim acrimonia, quæ multiplex datur, figuram angularem humoribus conciliat, ideoque immeabiles per exiliora vasa non tantum reddit, sed quodam-  
mo-



modo erodentes, pro natura principii, unde acrimonia ipsa nascitur, Notabilior illa est, quæ a lue venerea procedit, unde Fistulæ lacrymales, inter alia mala, oriuntur pessimæ indolis: quia non tantum partes molles, sed etiam ipsa ossa, absque relicta curationis spe, inde nonnunquam contaminantur.

Quod si dato tempore major, quam soleat, humorum copia ad vias lacrymales appellet, tenuioribus dispersis ob calorem a motu celeriore ipsorum humorum productum, crassiores concreverunt, immobilesque hærebunt in tubi cavitate, vel æquo fortius parietibus ejus adhærebunt. Enim vero nonne expertu noscitur, post aliquot febris periodos, fluidiore parte exinanita, ac febr-



febrili ardore dissipata, residua mucii portio densior facta, narium parietibus eo tenaciter, sub forma crustæ adhære-  
re, quæ avelli nequeat, quin aqua tepida exsolvatur? Ad mucii naturam accedere & humores, qui in tubo lacrymali separantur, vel ut melius dicam in eum posse converti, jam ex allatis in precedenti capitulo observationibus compertum est. Hinc ex modo dictis constabit, posse æque ac mucus narium in nonnullis casibus; puta vulnerum, contusionum, vel etiam aliorum acutorum morborum, & ille mucus, qui in tubo lacrymali reperitur ita indurescere, ac parietibus ejusdem tubi adhærere, ut natura inde amoveri nequeat, unde Fistula lacrymalis orietur, ex obstructa nimirum inferiori

re



re tubi parte, quæ aliunde angustior reliquo tubo est. Verum contusiones, atque vulnera possunt etiam aliis modis, facile intellectui obvenientibus, ita tubum lacrymalem directe offendere, ut suo fungendo muneri impar e vadat.

Si nimia tandem rigiditate peccaverint eadem viæ lacrymales, iterum nascetur Fistula lacrymalis, a nimia etenim rigiditate ac restrictione fibrarum, circulos extremæ partis tubi lacrymalis ingredientium, valde abbreviabuntur horum circulorum diametri, quæ aliunde a natura quam parvæ sunt. Hisce brevioribus factis, jam obstaculum descensuris humoribus interponi facile noscitur. Item ex Laxitate facci lacrymalis Fistula oriri posse noscitur,

&



& quidem multifarie. Des humores ad faccum lacrymalem jugiter defluere, vel faltem eo tempore, quo nares emunguntur; Aërem des etiam oportet tunc per inferius orificium sursum in tubum ascendere, quo in casu obstaculo erit, quominus humorum descensus fiat. Aër enim, prout constat ex experimentis Cl. Mussebrœck \*, opponitur descensui fluidorum in tubis capillaribus, queis tubi ipsi lacrymales comparati fuere. Quamobrem dum ab una parte intrusus aër obstat humorum intra tubum lacrymalem contentorum descensui, ab altera vero parietes ob contractam laxitatem faciunt humorum collectionem, & moram, eniterum nova humorum inspissatio, tubi

\* Diff. De Tub. capill.



inferioris ex hac ipsa obstructio, quæ & Fistulæ lacrymalis causa erit. Qui? et herniæ (sic dictæ) facci, causa proxima non inde reputanda? Tametsi nomen herniæ haud retinebimus, quandoquidem distinctam considerationem hic non meretur illud nomen, licet aliter alii cogitaverint, & machinas ad herniam hanc curandam invenerint, quæ tamen nunquam alicui juvaminis esse poterunt, nisi antea profligata obstructione tubi. Equidem pro generali regula habebitur, conjunctam semper hujusmodi Fistulis esse quandam facci dilatationem: faccus sit ad hanc (ob laxitudinem suarum fibrarum) dilatationem prædispositus, nec nè. Ideo cura eadem ubique adhibenda, ac si vellemus eodem tempore herniæ mederi.

Her-



Herniam autem facci sine Fistula dari nego : quare quidquid efficeretur procuranda hernia, nullo habito respectu ad causam Fistulæ, sive ad obstructionem, quæ in parte inferiore tubi dominatur, inane esset; quemadmodum inane probant aliorum quamplurimum inutilia hucusque conamina.

Percurrimus omnes plane causas, quarum una, vel pluribus dominantibus oriri potest Fistula lacrymalis; ad quas referendus etiam videtur Polypus, vel quivis alius tumor, nedum intus in ipso tubo lacrymali, sed & extra ita subortus, ut vel tubum adeo comprimatur, nè humores in nares eva-  
cuentur, vel idem efficiat obturando ejusdem inferius orificium; Quod nonnunquam occasione Polypi infra ulti-

D

mum



num os turbinatum excreti contingit.

Nunc verò de indole illius fluidi agendum, quod ex obstructo inferiùs tubo lacrymali, in sacco collectum, inde per puncta lacrymalia redundat, nisi eam densitatem nactum fit, quod proinde exire nequeat. Ex quadam apparente forma judicatur pus vel sanies, licet neutrum ut plurimum fit; Pus enim & sanies indicant continui solutionem; sine qua tamen dari Fistulam lacrymalem jam ab expositis in præcedente capite, maxime vero a quotidiana observatione clare deducitur. Multos quidem fefellit materies è punctis lacrymalibus erumpens; Ubi verò comparetur cum alia, quæ in partibus secernitur, non alterius fermè structuræ, ac tubi lacrymalis  
stru-



structura sit, ex hac ipsa comparatione compertum habebitur, materiem illam è punctis lacrymalibus scaturientem, ut plurimum neque pus, neque saniem esse; cum è partibus etiam ad oculum sanissimis educatur. Quod ut exemplis demonstretur; fumatur mucus è naribus elicitus, vel quod etiam facilius erit, dum surgimus mane, linguam, ut moris est, cochleari detergamus, collectum inde mucum tactu, visu, olfactu examinemus. Erit mollissimus, subflavus, fermè inodorus. Si aqua pura distillata in vitro diluamus, agitemus, jam albescit aqua. Quam pulchre tunc materiem refert, quæ punctis e lacrymalibus exprimitur? Curiosus experimentum multoties iteravi, idemque semper videre



contigit. Aberat ingratus odor, qui in expressa a punctis lacrymalibus materia subindè percipitur, cum maxumè ad dies subsedit in sacco, verum si pluribus æque diebus relinquebam mucum in ipso cochleari, cavendo perquam possem, ne aër irreperet, ipsissimum pravum odorem postea deprehendebam. Cum igitur lingua obducta sit eadem membrana pituitaria, qua nares investiuntur, ejusdemque pituitariæ etiam tubus lacrymalis, saltem quoad interiorem ejus fabricam, prout capite primo dictum est, productio sit: Præterea cum vel ex lingua sanissima educatur humor, seu materies, qualis sæpissimè a punctis lacrymalibus occasione Fistulæ emittitur; sequitur ergo, ex eo tantummodò humore punctis excreto, fal-



falsò sæpe judicari de præsentia ulceris, cum etiam sine hoc illud excrementum detur, ut modò demonstratum est.

Interim nequis inde credat, me absolute velle Ulcus a Fistula lacrymali constanter alienum; ea potius sententia sum, quod quemadmodum tubus ejusdem est fabricæ, ac membrana narium, iisdem etiam morbis, ulcere nempe, & quidem multiplicis naturæ, affligi possit: Id unum ex allato experimento monebo; ne fimus eò proclives in judicium ferendum, ut ex sola illa, quæ ex Punctis lacrymalibus scaetet, materie, ulcus adesse putemus; cum, prout innuimus, sæpenumero pro Ulceris recremento hæc imponat. Accedit, quod etsi aliis suadentibus



signis, constanter aliqua exulceratio intra tubum lacrymalem inesset, non idcirco eò pravæ indolis mox dijudicetur, ut graviorum Remediorum usu opus sit. Ut plurimum enim hæc, partibus adeò teneris applicata, plus jacturæ afferunt, quam utilitatis.

---

C A P U T III.

*De Cura Fistule lacrymalis.*

**Æ** Quo nimium excresceret opella hæc, si omnes curæ hujusce methodos, a Galeni tempore ad hanc usque diem propositas, ordine recenfere vellem: quamobrem adnotasse sufficiet, plures extitisse, qui probè se facturos existimarunt, si vitio huic profligando cauteria, dicta potentialia, vel



vel candentia ferra adhiberent. Alii verò ossa terebrarunt, ut novam viam fluentibus lacrymis aperirent. Fuere, qui rite consultum putarunt, si sacci lacrymalis cavitas eò carne repleretur, ne ulla in posterum humorum ibi collectio fieret. Id quod ope suppurationis, in sacci parietibus excitatæ, eo majori animo consequi tentarunt, quo curæ radicalis Hydrocelis exemplum magis æquivalens præire arbitrati sunt. Quid hac de cura radicali Hydrocelis sentiendum, quidve ex eadem inferendum sit relatè ad Fistulæ lacrymalis curam, erit quod postea differamus. Interim notandum est, nec defuisse, qui injectionibus per puncta lacrymalia institutis, obstructionem referari; & Fistulæ mederi

D 4

posse,



posse, si tantummodò humores dirigan-  
tur per illud foramen, quod cum nare  
communicat, alii arbitrati sunt. Qui-  
dam aperto sacco lacrymali, & supe-  
rata obstructione, per specillum in tu-  
bum lacrymalem inductum, turundam  
plumbeam vel ceream in eundem po-  
stea immittunt, & aliquo tempore ibi  
retinent.

Has planè methodos ipse noveram,  
antequam aliam curandæ Fistulæ la-  
crymalis invenissem viam, cujus ne-  
cessitatem perfunctoriè tetigeram in  
Præfatione ad meas animadversiones  
in varias calculi secandi methodos,  
quas Parisiis edidi an. 1749. Quæ ve-  
ro me maximè ad id laboris studii que  
impulere, ut novum profligandæ Fi-  
stulæ lacrymalis modum cogitassem,  
fue-



fuere pericula, quæ præcedentes methodos comitantur. Enimverò quid periculosius ignito ferro, quod oculorum angulo admovetur? Maximo perè verendum, ne urens calor toto Encephalo se communicet. Quotque præterea sint humanitati detrimenta ex ignitis ferramentis ad caput adhibitis, noverunt vel qui miseri perpeffi, vel qui curiosi mirati sunt experimenta, proprio è Marte in Nosocomiis, etiam atque etiam habita. Hinc Practici omnium optimi scitè monuerunt, prout mihi longè pridem constiterat, candentia ferra a capite arcenda, cum propter ea, quæ comitantur pericula, tum quod longè mitiora dentur media, cuius indicationi subveniendi. De cauteriis Potentialibus dicis,



ctis, tristissimos effectus novimus, dum ad erodendum Saccum, vel ad os in squammas exsolvendum adhiberentur. Terebratio autem, vel eò instituta, ut portio aliqua ossis, carie affecti, absumatur, vel ad novam viam aperientem, qua secreti in sacco humores, directione fermè horizontali deferantur in narem, quam ardua operatio, planè ex Anatomia constat, quam verò incerti sit exitus, monent ac persuadent eventus. Ingenuè quoque fatendum, nec meliora vidisse ex applicatione turundæ cereæ, vel plumbeæ; Licet hæc methodus a claro in Arte viro olim proposita, atque a peritissimis interdum amplexa. Exemplum erit, quod vel ipso e celeberrimo Morand in promptu est. Dum  
pro



pro ea, qua me complectebatur, sincera animi benevolentia, de omnibus artis subsidiis, mediisque, in quibus mirificè ipse excellit, instructum me vellet, vel hanc turundæ methodum clinicè ostendebat in Puella: facta de ejus incredibili dexteritate incisione; destructoque tubo lacrymali, turundam plumbeam subtiliorem in ipsum immisit: cura inde mihi commissa, præscriptisque regulis religiosissimè a me observatis, quadraginta effluxis diebus, turundam removeram. Posthàc vulnusculum externum, per quod turunda sensim crassior immittebatur, cito coaluit. Primis duobus mensibus a peracta cura, pars utcumque sana videbatur: postea verò rediit ut prius. Argumento, quod illa turunda



da plumbea cum agat tantummodo compressione, nihil verò substantiæ immediatè consumat, neque ad vicinas partes quid transmittat, unde obstructionis causæ domentur, longè minus præstet, quam quæ nos ad mentem nostræ methodi, brevi describendæ, in tubum lacrymalem immittimus remedia, ut integrè eum reparemus.

Coeterum quod nulla habita ratione status inferioris partis tubi lacrymalis, vel a concreto muco, vel a luxuriante carne, vel a compressa, sive contracta, quacunquè ex causa diametro ferè semper obstructi, facci tantummodo cura, ut quidem decernunt, aggradiatur; id sane non minus rationi, quam experientiæ refragari videtur. Suadet quidem ratio, imo axioma est, effe-



effectus nullatenus removeri, nisi prius ablata causa. Ubi vero fundamentum expenditur, cui præsumpta facci cura innititur, mox labile, nullaque evidentia suffultum apparet; quippè quod depromptum ex cura radicali, sic dicta, Hydrocelis, ut hæc multorum exemplo qui relabuntur, nihil minus quam firma radicalis Hydrocelis cura identidem probatur; sic & inde sumptum pro curatione facci lacrymalis fundamentum, nullius planè evincitur soliditatis. Nec jugi experientiæ conformius esse videtur, quod sibi imaginantur, de regeneratione carnis, vacua etiam a natura constituta replentis, qua quidem secretiones, novæque humorum ibidem collectiones impediuntur. Ast verò cum hæc ipsa,  
quæ



quæ præsumitur carnis generatio sit principium, cui maximè innititur illorum ratio, qui curam radicalem Hydrocelis aggrediuntur, nec non princeps & eorum fundamentum, qui curam sacci lacrymalis in casu Fistulæ eodem modo consequi præsumunt: operæ pretium ducimus paulo fusius ac diligentius, quam tractationis hujus ferret institutum rationes expendere, quibus carniū reproductionem probare contendunt. Porro hanc esse putant solius naturæ opus, ad quod perficiendum id tantummodo sufficere, si arte quacunque natura ipsa excitetur, ut pus aliqua ex parte fundat, id quod facile judicant, modo parietes vasorum vel scindantur cultro, vel remediis corrodamur. In ea etenim senten-



tentia sunt, quod præter eam puris materiam, particulas etiam natura fundat, quarum jugi ad limbos consumptorum appositione, nova vasa, quæ priorum fermè additamenta sint, generentur, quibus ea subinde resultat caro, quam dicunt regeneratam, vacua omnia replentem. Hoc naturæ excogitatum systema, ut melius conciperetur, vir ad imaginandum paratissimus Garengotius (initio sui de operationibus Chirurgicis Tractatus) comparavit modo, quo Cæmentarii puteorum parietes, ex ima profunditate ad summitatem telluris elevant, lapides in circulos sic disponendo, ut postremi prioribus incumbant.

Verum quam inane ejusmodi commentum sit, constat, si non fingendo, vel



vel excogitando, sed tantummodo experiundo inquiratur, quid in præsumpta carniū generatione natura ferat vel patiatur. Equidem si illud verum esset, quod natura, ita ad suppurationem excitata, valeret præfato modo carnes novas producere, cur & non resecta membra? Ast quid immorandum? nonne contrarium probant experimenta hac de causa pertinaci studio iterata, ut constaret de veritate illius præsumptæ regenerationis. \* Resectis enim scirrhis mammis signa posuimus ad limina cutis: observavimus postea, quod eametsi proportione, ac restringebatur vulnus, invicem appropinquabant impressa signa. Continu-

\* Vide nostrum Tract; cui Titul. Nouvelles Remarques sur la Lithotomie, &c.



tinuata observatione ad usque integram cicatricem, adnotavimus, nec hilum noviter generatum fuisse de cute, etfi, ceu reliquæ partes molles, spectet ad carnem.

Ex obvio istiusmodi experimento patuit, meram esse prolongationem vasorum, interveniente expansione telæ cellulosæ, id quod pro nova carnis generatione perperam accipitur. Ut verò multiplici ratione convincimur, quod nulla pars organica ex integro regeneretur, ubi semel amissa fuerit, æque suademur nulla talis caro, alteri cuicumque a natura originario datæ, supercrescere ex integro possit, nisi id ex morbo contingat, quo casu nullo modo naturalis, atque verè organica,



sed luxurians caro, quæ sui ablationem indicat, potius dicitur.

Fortè quis objiciet, unde ergo replentur ingentia illa spatia ab evacuatibus abscessibus interdum relicta? Adeat Illustriss. Baronis van Swieten eruditissima commentaria, maximè verò expendat illa, quæ tantus Auctor adjecit ad § 158. conferat præterea ad Cl. Halleri tommum primum doctissimæ suæ Physiologiæ, nec non ad obvia, quæ sunt experimenta vulnerum, videbit, factò vulnere, & ablata cutis resistantia, mox undique turgere ipsam telam, vel ob irrepentem aërem, vel ob humorum affluxum. Quanta verò sit communicatio inter cellulas, constituentes telam, sic dictam, cellulofam, patet ex firmissimis experimentis ab eodem Clariss.

Hal-



Hallero allatis, inde æque quam fit extensibilis, expansibilis, ac fermè ubique præfens. Ipsa igitur cellulosa tela esse videtur, quæ ingentia spatia, ab evacuatis abscessibus relicta pro maxima parte replet. Fatemur huic nonnihil contribuere prolongationem vasorum, quæ alternè succedit: Primò enim dum vasa rumpuntur in oppositas partes se contrahunt, postea verò in pristinum statum se sponte restitunt, præsertim si omne cessaverit irritamentum: Præterea dum orificia vasorum constringuntur, aliquanto etiam posse prolongari, vi a tergo impellentium humorum diducta, adhuc non diffitemur: verum hoc totum nullo modo æquivalet præfatæ cellulosæ expansioni, a qua præsertim repetenda est repletio vulnerum, ulce-



rum, verbo, quarumcunque cavitatum ab evacuatis abcessibus superstitum, quemadmodum & causa ejusmet cellulosa expansionis carnes mirè subinde luxuriantes. Ipsa cellulosa denique est quæ remediis, vel adæquata pressione coercita, ita indurescit, ut cicatrices vulnerum ac ulcerum absolvat, cutique deficienti suppleat.

Si hanc telæ cellulosa expansionem pro carnum regeneratione (quæ nulla est) assumere vellent, ultrò concederemus, & quædam vacua a natura instituta ope ejusdem expansionis quodammodo repleri posse, maxime cum videamus in luxuriantibus carnibus, prout superius inuimus, adeo telam ipsam sese extendere atque intumescere, ut etiam partium limites excedat.

Ve-



Verum etfi concedatur ab ipsa tela repleri vacuum, ubi prius colligebatur humor Hydrocelis; item & illud in quo humor lacrymalis collectus erat, quid inde consequitur? Nonne æque facile, quinimò facilius humores per substitutæ telæ communicantes cellulas irruent? quod cum non tantum a priori, sed etiam frequenti experientia a posteriori evincatur, meritò in illam sententiam adducimur, ut eam methodum ceu fallacem respuamus, quæ præsumptæ curæ radicalis Hydrocelis exemplo ac fundamento innititur. Fallaciæ siquidem, vel exinde a posteriori maxime arguitur, quod illorum plures, qui arduam hanc periculisque plenam curationem, sic dictam radicalem Hydrocelis, in Nosocomiis subivere, il-



hic recidivos ac tristes remeantes, brevi excurso tempore, & sacculos intra scrotum hinc inde humore repletos gerentes vidimus. Id quod densissimis ac perincommodis cicatricibus, a perpeffa cura relictis tribuendum, fin æque ac prius undique turgeret scrotum. Quod si verum exponere, prout in te est, nostra interfit maximi, præcise de effectibus ejusmodi curæ sacco lacrymali adhibitæ, quotnam eorum, qui diuturnam hanc, atque molestam curam pertulerunt, in eadem prorsus antiqua, aut paulò minora incommoda relapsos non vidimus? Inde maximè, quod tota circa saccum (omissa morbi causa primaria) cura versaretur?

Nimius fortè videar, quam proposita opellæ brevitās ferat. Ast eò impulit

ne-



necessitas illius refellendi argumenti, puta carniū regenerationis, vacua omnia replentis, quam pro basi relatæ methodi statuisse nonnulli sibi gloriantur. Qui sanè, ut nova indies opinioni huic vacillantia fulcra suppeditent, id præterea scripto tradunt, impossibile fore, ut carniū generatio, sive vasorum spontanea productio impediatur, ubi suppurationi occasio detur. Ex quo inferunt, nequaquam obtineri posse, ut dum luxuriantes carnes, tubumque lacrymalem occludentes, absumere intendimus, obstructaque, inflataque ibi vasa corrigere, rem consequamur; ea semper de causa, quod sibi falsò persuadeant, necessario vasa multum incrementum, tubumque replere, ubi suppuratio excitetur. Quam-

E 4. obrem



brem & tubi obstructionem neglectui habent, & methodum, cui loco primariæ indicationis est obstructionis reclusio, puta Fistulæ lacrymalis causæ principis profligatio, flocci pendunt. Hæc igitur argumenti fallacia in apri-  
co ponenda erat; præterea demonstra-  
re incumbibat, quid reapse fit, id quod  
finus ab abscessibus relictos replet,  
quomodo denique firmis repagulis coer-  
cenda, ne tumeat, hoc est, ne ultra  
modum atque naturæ sÿmmetriadem tela  
cellulosa, quæ maximè illud præstat,  
expandatur, cui remediis, vel pressio-  
ne provideri jam superius inuimus:  
Remediis quidem, quæ tantum ip-  
sus telæ cellulosæ, quantum necesse  
est, consumitur, ne amplius quid su-  
perfit, de quo expansio fiat: pressio-

ne



ne verò, dum hac efficitur, ut plurimarum cellularum parietes una cohaereant, & occalescant, sintque reliquis penitioribus impedimento, ne expandantur, sive protuberent. Hinc vel illæ promoventur exiles aperturæ, quarum ope noverunt Fœminæ ornamenta auribus apponere.

Modò est de aliis memoratis methodis aliquid dicendum. Enimverò quod maxime in incipiente Fistula lacrymali, id consequi possit, ut ope subtilissimi specilli per punctum lacrymale superius vel inferius immissi, obstructionis locum attingamus, eam referemus, ubi a mucò producta sit; mucum injectionibus diluamus, tandem tubum totum evacuemus, abstergamusque, minimè dubitandum, ma-



ximè cum causa dominans simplex sit mucus ibi concretus. Idque vel obtineri æque possibile judicamus, licet aliquanto difficilius, si ejusmodi cura instituat a parte naris, specillum nempe, itidemque liquores per inferius tubi foramen immittendo. Quapropter has methodos, aliunde innocuas, initio morbi tentare, nedum prudens, sed etiam utile interdum cedit: modo plus temporis in hisce experientis non infumatur, ac necesse fit, nunquam enim vidimus, ejusmodi agendi rationes in cura Fistulæ lacrymalis profuisse, nisi a concreto, ut supra, humore obstructio inferioris tubi partis simpliciter obveniret; quo casu paucos intra dies cura obsolvenda. At frequentius causæ validiores dominantur,



tur, tuncque longe alia cura aggredienda, de qua brevi dicemus.

Cum primum humores ob obstructum inferius tubum incipiunt in sacco coadunari, molestum pruritus, atque doloris sensum in angulo interiore oculi eò excitant, ut qui ejusmodi laborant molestia, cogantur sæpissimè affectæ atque dolenti partì digitum admove-  
re, ut de contento stimulante, ac fibras diducente humore aliquid per puncta lacrymalia educatur, quod quidem facillè contingit, dum puncta ipsa patula, & materies iis permeandis apta est; tunc temporis & naris affecti lateris consueto ficeior. Veruntamen ad operationem irruendum non est: tentandum prius, nùm remediis obstructio referetur. Interdum juvat,  
si



si aqua tepida ex vola manus per nares frequenter hauriatur; si major oculi canthus spiritu vini, aqua multa tepida diluto abluatur; si spleniolo uno vel altero, & fascia contegatur, præterea si sæpius emungantur nares, si simul humores, siue quantitate, siue qualitate peccantes per alvum evacuentur. Huic scopo magnoperè conducunt salia neutra, emulsis vel infusis, maximè verò sero lactis, adjecta: habent hæc, prout quotidiano usu docemur, proprietates, ut crudos humores, evacuent, reliquos fluidiores reddant, ac obstructions blande referent. Præterea non mediocris utilitatis est aliqualem servare diætam, nec emplastri revulsorii ad nucham usum omittere. Quæ ubi ad unam, alteramue  
he-



hebdomadam adhibita nihil juverint, frustra diutius continuantur. Quivis hisce in morbis pertractandis vel modice versatus, ex præteritorum ac præsentium signorum inita collatione probè intelliget, utrum obstaculum latens in tubo lacrymali sit per ea memorata remedia superabile, nec nè; præterea an consultius mox ab injectionibus exordiri. Sunt hæc mitiora media, quibus incipientium Fistularum cura agredi debet; quæ si intra breve tempus pro voto non operentur, ad sequentem nostram methodum, utpoté tutam, recurrendum; quæ nedum in recente Fistula, sed etiam in magis confirmata, ac pertinaci cæteris præstat.

Porro hæc nostra methodus supponit ambo puncta lacrymalia, vel saltem



tem unum patere, nullum præterea adesse constantem tumorem, ita ut si aliquantulum tumeat canthus ille interior oculi, pressione tamen evanescat tumor, simulque contenta materies per ipsa Puncta effluat. Quare si præter obstructionem partis inferioris tubi lacrymalis, unde liber impeditur humorum in narem descensus, nullus alius extet morbus, en methodus obstructionem profligandi, naturalem & integram tubi lacrymalis functionem absque vel minima noxa restituendi.

1. Blandè comprimendus est sacculus lacrymalis, ut collecti humores, si adsunt, per puncta exeant lacrymalia, dein linteo mundandus oculus affecti lateris, obvelato, si lubeat, altero, ne operationis tædeat ægrum.

2. At-



2. Attollitur ac parumper invertitur Palpebra superior, ut punctum lacrymale in ipsa patulum se prodat; si vero ocluso puncto superioris palpebræ, tantummodo illud pateat inferioris; hæc est parumper invertenda, donec punctum ejus patulum manifestetur.

3. Dum una manu continemus Palpebram, altera (servata viarum lacrymalium directione) per punctum lacrymale patulum inducimus cannulam auream, quam exhibet fig. 6. Tab. I. Hæc intra suum vacuum recipit styllum sive filum, æque ex auro confectum, unde ejusdem cannulæ firmitas augetur. Cum primum ad obstaculum sive ad obstructionem aurea cannula pervenit, idoneos eidem motus com-

mu-



municamus, ut obstaculum superemus; quo obtento, blandè pergimus ad usque narem. Ad hanc pervenisse nedum ex immissæ cannulæ quantitate, verum etiam ex ipsa, quæ ex nare prodit, materie, ex pruritu, ac sternutandi stimulo judicamus.

4. Tunc stylum in sinu cannulæ delitescentem educimus, & loco ejus chordam longe iis subtiliorem, quæ pro fidibus adhibetur, è superiori cannulæ apertura inducimus. Statim ac in narem chorda descendit, humectatur, humore ibi contento, ac inflectitur; ideo continuata ejusdem immissione maxima pars per inferius cannulæ foramen exit in narem, & vel ex hac ipsa exterius prorumpit, vel in palatum descendit, vel etiam tota intra



tra narem convolvitur. Ubi extrorsum apparet, totum fermè negotium jam confectum est, prehensa enim duobus digitis chordæ extremitas inferior, atque contenta, sursum trahitur, educiturque cannula, proindeque in tubo lacrymali chorda remanet; cujus una extremitas exit antè per narem, altera autem per punctum lacrymale; præcisè ut videre est in Figura tabulæ secundæ. Si autem chorda, quin per anteriorem naris aperturam erumpat, per ejusdem aperturam posteriorem in Fauces descendat; exin per os educenda est; quod facillimum, si idoneo unco, aut vossellaprehendatur. Quo casu altera chorda per eandem narem in fauces immittitur, & per os, eodem modo, immissa hæc extremitas educitur.

F

tur.



tur. Tunc chordarum binæ extremitates, quæ ex ore prorumpunt, nodo junguntur. Posteaque chorda, ultimo loco immissa, per anteriorem naris aperturam educitur, hæc secum trahit nodum, proindeque extremitatem chordæ prioris. Quamobrem, re ut antea absoluta, una extremitas chordæ eminet ex puncto lacrymali; altera autem exit per narem, ut videre est eadem figura (Tab. II.) Si vero chorda per cannulam immissa intra narem convolvatur, hinc vossella sine unco facile educitur, eoque tandem modo, ut eadem figura (Tab. II.) patet, chordæ extremitatibus compositis, ad sequentem diem ulterior operatio differtur.

5. Tunc filo serico appenditur turundula, ex duobus tantummodò filiis  
line-



lineis duplicatis confecta, ejusdem longitudinis, ac tubus lacrymalis; obducta est turunda unguento Rosarum, inducitur in tubum lacrymalem ex latere naris, dum inferiori præcedentis chordæ extremitati innectitur filum sericum, cui ipsa turunda appensa est, trahiturque ipsa chorda, ut tota exeat per punctum lacrymale, locumque præbeat sequenti filo serico. Cum primum turundula pervenerit ad summitatem tubi lacrymalis, non debet ultrò trahi, sed componantur extremitates fili serici prout in ipsa figura representatur (Tab. II.). Hunc apparatus ad duos dies relinquimus. Interea ægro jubemus ut quiescat, caveatque a nimia applicatione. Binis diebus effluxis turundulam tertio ad-



huc filo crassiorē immittimus, iterumque ad duos dies relinquimus. Sic sensim eadem proportione augetur turunda, donec tubus lacrymalis ordinariam diametrum recuperaverit. Verum si aucta, difficulter transiret, tunc suppuratio excitanda est, qua excreta caro, vel quicquid aliud tubum lacrymalem angustat, consumitur. Suppuratio verò promovetur tantillo præcipitati rubri, & aluminis eidem unguento adjectis. Tubus sat dilatatus, consolidari postulat. Hoc ex terra lemnia, atque tutia, loco præcedentium eidem unguento admixtis obtinetur. Ut plurimum ejusmodi cura absolvitur trium, vel quatuor hebdomadarum spatio; quibus elapsis turunda removetur. Filum verò adhuc



huc per menses in tubo relinquendum est, ut si quid novi contingat, eodem modo, quo supra, facili occurramus. Hac sane methodo perquam plures curavimus hujusmodi Fistulas.

Quod si morbus eò usque invaluerit, ut retentus in sacco lacrymali humor eum valde dilataverit, indeque tumor sit, vel abscessus (prout figura Tab. III. videri datur) aliam tunc inire viam, priori non valde abfimilem eo magis expedit, quod Diatesi facci, usu prioris methodi prospicere ducimus impossibile.

i. Igitur idoneo cultro (Gallis Bisturi) simplicissimo, nullaque crena instructo, tumoris incisio facienda est, ejus plane magnitudinis, quæ figura Tab. III. exhibetur. Anatomia verò



& experientia docent quomodo apex cultri tunc dirigendus, ut in faccum tu-  
tò perveniat, vasis majoribus illæsis,  
ipsoque palpebrarum ligamento.

2. Dum illuc pervenerit culter, jux-  
ta eum specillum fulcatum in faccum  
tubumque ipsum immittendum est.  
Cum primum specillum ad obstaculum  
usque deductum est, illud superare  
blandè curamus. Obstaculo victo,  
pergimus insinuare specillum, donec  
perveniat ad narem. Noscimus illuc  
pervenisse ipsismet, quæ supra innui-  
mus, signis.

3. Tunc per sulcum specilli cannulam  
argenteam stylo munitam ac repræsen-  
tata figura 5. (Tab. I.) immittimus.  
Cum primum hæc in canalem osseum per-  
venit, educimus specillum, pergimus  
deor-



deorsum cannulam impellere, donec in narem ipsa descenderit, quo dum pervenisse videtur, contentum in cannula styllum educimus.

4. Ope ipsius cannulæ, ab e jus foramine superiore, in narem chordam inducimus, sicuti priori methodo factum est. Verum in hoc differt methodus a præcedenti, quod loco turundulæ penicillum ex pluribus filamentis confectum, filo serico, quod per tubum lacrymalem excurrit, appenditur; neque per narem, sed per ipsum factum vulnusculum mox eo usque immittitur, ut hujus cavitas inde repleatur. Nam duplex scopus est, nempe tubi obstructionem curandi, simulque vitia facci corrigendi: præter dilatationem subinde exulceratione, vel etiam lu-



xuriantē carne, vel duritiē faccus laborat, quæ omnia sanari debent. In hunc finem penicillum obducimus unguento althææ, vel Balsamo arcei, cui additum est tantillum de præcipitato rubro, & alumine, ac quotidie renovatur. Frequenter iteramus injectiones mellitas, quibus sub finem curæ adiicimus tantillum spiritus vini.

5. Ubi sacco per eam curam sat provisum noscimus, tunc reliqui tubi cura habetur, ipsissima methodo supra relata. Diversitas hæc sola est, quod nullum filum traducimus per punctum lacrymale; quod foret superfluum; sed exit filum sericum per ipsum locum, in quo vulnusculum inflictum. Quod sanè vulnusculum, ubi eò perductum est, ut filum tantum admittat,



vix distingui potest a quovis cutis poro: brevique temporis intervallo vix ullam cicatricem deprehendimus, quam quidem de omnimoda industria vitare studemus, ne venustati, vel minimum jaçtura sit.

6. Verum eadem fermè proportione ac gravior status morbi, majoribus cautelis opus est. Quamobrem non tantum hic cura longior; sed & filum sericum cera oblinitum, sæpiusque renovatum diutius relinquendum erit, si vero filo serico aureum substituamus, adhuc plane tutius: utrique extremitati appendere parvum annulum optimè cautum, ne suo è loco exeat. Si quid novi superveniens novas suppetias desideret, tantummodo filum sericum inferiori annulo apponatur, com-



primaturque eò , ut intra tubum recipiatur ; ita dum sursum attrahimus annulum alterum , digitis , aut vossella prehensum , ducitur de novo filum fericum in tubum , ejusque ope turundulam , qua possumus suppurare , dilatari , atque iterum firmiter ipsum tubum consolidare. Rari quidem hujusmodi casus , atque qui frequenti nostra praxi interdum contingere : maximè dum ægri neglecti habuerunt paucas eas cautelas , quas ipsis injungere solemus. Tres sunt , quas præcipuas commendamus. Prima ne dum nares emungunt ægri , earundem extremitates comprimant , sed liberum exitum aëri , reliquisque in naribus contentis materiis relinquunt : secunda , ut globulo , ex convoluto linteo confecto



Etto frequenter comprimant canthum oculi, jampridem tumore affectum, quæ cautela adhuc magis juvat, si fuerit globulus vino, vel spiritu vini aqua diluto madefactus; digitus quidem suppleret globulo, verum non adeò utiliter: Tertio loco suademus, ut aquam tepidam, ad minimum semel de die naribus hauriant, maximè tunc temporis, quo filum sericum, vel aureum est intra tubum lacrymalem.

Descriptam hætenus habemus methodum, qua uti oportet in Fistula quæ neque tumore, neque manifesto ulcere stipatur. Præterea quæ sit adhibenda ubi tumor, vel abscessus simul adest: superest ostendamus, quid faciendum, si loco tumoris, vel abscessus, ulcus, vel præternaturale foramen in

can-



cantho pateat. Namque ii tres sunt  
Fistularum lacrymalium gradus, qui  
arte corrigi possunt. Monendum ve-  
ro, ulcus five foramen nonnunquam  
cum tumore etiam junctum esse, ut  
apparet ex figura Tabulæ tertiæ, ex vi-  
vo desumpta, quod ex eo contingit,  
quia dum humores tenuiores per ulcus  
five foramen exeunt, crassiores subsi-  
dent, tumoremque faciunt. Si igitur  
illud ulcus, seu foramen fuerit satis  
amplum, ut locum præbeat specillo,  
& cannulæ argenteæ, in præcedenti me-  
thodo adhibitis, non opus erit dilata-  
tione five incisione; perque illud fo-  
ramen omnia quæ superius exposui-  
mus institui poterunt. Sin verò satis  
patulum fuerit, tunc parva incisio in  
eodem loco adhibenda, sicuti superius de-

de-



demonstratum est , omniaque ad instar descriptæ ultimo loco methodi in eundem finem peragenda sunt.

Jubet Celsus (lib. VII. cap. VII. de æpilope) ut *summum foraminis*, sive *ulceris bamulo excipiatur*, deinde *totum id cavum*, sicut in *Fistulis* (reliquis) usque *ad os excindatur*, osque *ferramento aduratur*. Ast crudelem hanc methodum periculisque, ut superius diximus, obnoxiam, licet apud plures usitatam, tamen nunquam adhibebimus; Etsi etiam aliqua subjecti ossis caries adesset, ad quam amovendam maximè adustio illa dirigeretur. Frequenti enim experientia edocti sumus, ipsam cariem nostra ultima descripta methodo felicissimè superari posse. Quod ut exemplis adhuc confirmetur, nonnulla

ex



ex multis, quæ extant, afferre ducimus.

Anno 1757. adibat me puerulus è plebe, 13. annos natus, obnixè rogans, ut sibi misero subvenirem. A vario-  
larum tempore, quas nondum tertio anno effluxo subiverat, Fistula in utro-  
que oculi cantho laborabat. Initio hu-  
mor in sacco secretus refluebat per puncta lacrymalia. At lapsu tempo-  
ris crassior factus eò inflabat faccum,  
ut una cum tegumentis hic disrumpe-  
retur; per novam tunc viam humores  
effluebant, ac disparebat tumor. Cum-  
primum vero ea clauderetur, en ite-  
rum tumor, qui eodem modo, sponte  
sua, ter quaterque in anno aperieba-  
tur. Tandem inceperat uterque can-  
thus parvo foramine perpetuo hiare,  
un-



unde subtiliores humores perenniter guttatim extillabant, subsidentibus crassioribus. Quare eo tempore, quo me adit, una cum tumore in utroque latere, & parva aderat apertura, prout videre est in figura Tab. III. rem uti erat ipso in puero representante. Fœtor corrupti ossis scatebat nedum ex tumoris hiatu, sed etiam ex naribus. Inductum per eos specillum ubique ossa nuda aspera que tangebatur, magnamque offendebat resistantiam circa medium tubi lacrymalis.

Ut commodè igitur possem facco lacrymali, & toto tubo mederi, incisione, superius descripta, parvum illum hiatus dilatavi, ut videre est in cantho oculi sinistri ejusdem Figuræ (Tab. III.

III.



III.) dein curam superius expositam per ultra duos menses adhibui; quibus elapsis, quam optime Puer ille revault.

Dignæ quidem animadversione fuerunt in eo casu, mox relato, squamulæ, atque ossium fragmenta, quæ ad instar cicerum malleo contractorum sæpissimè exiverunt; quibus modo penicillum, modo verò turunda è tubo educta referta inveniebantur: Argumento sanè, quod natura, cum primum sui compos est, nec ulterius ab inductis causis affecta, scit per se sola, vel cum leve artis adminiculo iis dehonoriari, quæ vel inutilia, vel nocua ipsi sunt, quorum numero procul dubio, accensenda est ossium caries; cujus quidem rei præter exemplum illius Pueri  
alia



alia quamplurima extant. Nimum ab instituto recederem, si modò hæc adducere vellem. Præstabit tamen unum, præter ea, quæ ad Fistulam immediatè spectant afferre, quia multam cum hac ipsa habet affinitatem.

Uxor cujusdam linguæ gallicæ præceptoris, domi habitans, ubi antea Nosodochium Cæsareum, conquirebatur de osteocopo dolore paulo supra ligamentum palpebrarum præcisè in illa parte ossis frontalis, quæ ad initium sulci lacrymalis descendit. Rubebat cutis ibidem, ac modicè tumebat; dum digito pars tangeretur aliqua manifestabatur innaturalis ossis eminentia. Ut me hæc fœmina adiret, suaserat egregius Professor Hiaus, timens Fistulam lacrymalem; cum è

G

re,



regione facci lacrymalis, at paulo superius morbus esset. Meo consilio gefit emplastrum diachili compositi, quotidie parti recenter admotum. Cum post tres hebdomadas pars tumidior esset, & aliqua fluctuatio perciperetur, tegumenta apice lanceolæ secui. Brevi post in conspectum se prodiit offis squama, qua volsella prehensa, ac vi levissima educta, visa est latitudine atque densitate auricularis unguem æquare. Exin pars eadem nec doluit, nec quicquam passa est.

Porrò ii duo relati casus fatis probare videntur, quam faciliè eximatur caries ex hisce partibus, absque violentium remediorum usu, quæ ab aliis frequentissimè adbibentur. Quæ præterea consequuntur, ultrò rem hanc  
con-



confirmabunt, ac demonstrabunt nostræ methodi præstantiam in curanda qualibet Fistula lacrymali, modo arte curabili.

Novem ab hinc annis auxilium meum implorabat uxor condimentarii Celsissimi Principis Wenceslai a Lichtenstein. Horrendum tumorem gerebat in interiore oculi dextri cantho, qui nedum palpebras, sed totam ejus lateris genam invadebat. Aderant simul dolores enormes non solum impediētes somnum, sed etiam commestionem. Cutis tumorem obducentis color pene lividus. Hæcque omnia jam a pluribus diebus invalebant. Senfim tumor ille in tantam molem excreverat: Ast fermè ab incunabulis hæc femina (34. ætatis annum tunc attingens)



gens) tumore aliquo ibidem affecta, prellione tamen digiti quodammodo evanescente, ob eruptionem contentæ materie per puncta lacrymalia: quini- mo jam adulta, cum paulo fortius hunc semel tumorem comprimeret, effluxum valde copiosum ad nares atque pala- tum experta est, materie ad nauseam usque stomachum moventis, tumor- que ad tempus aliquod subsidebat. Iterum comparebat, tumebatque eò grandior, quò instabant catamenia. Antequam me consuleret alios adie- rat, quos desperantes de cura, mor- bunque aggredi renuentes doluit mi- sera: quod timerent ex eo colore livi- do latere cancrum. Spem ipse feci. Antequam vero curationi manus ad- moverem, fategi, ut Feminam inspice-  
ret



ret Ill. Baro van Swieten, qui pro ea qua pollet in diagnosi quorumcumque morborum scientia summa, non prius paucis ipsi meam sententiam aperii, quod de natura, & curatione morbi rectum ejus pro more judicium fuit, ac hæsitanti Feminae adjecit animum, ut læta atque firma subiret operationem, quam hisce lineis humanissime sollicitavit.

*MONSIEUR.*

Je suis de votre avis, & il ne faut pas tarder, demain à onze heures du matin, je me trouverai chez la malade pour être témoin &c.

*Van Swieten.*



Statuta igitur hora, ab incisione operationem exorsus, eam consueto paulo majorem de industria feceram; ut partium examini commodior pateret aditus, ipsis que remediis topicis applicandis. Mox aperto tumore ingens copia foetidissimi puris saltu fermè profiliit. Quo evacuato digitum annularem in relictum sinum induxi. Ubique ossa nuda hinc inde scabra, offerebantur. Potuimus digitum tam ultro in orbitam immittere, ut musculorum oclum moventium origines tangeremus. Digito educto specillum fulcatum in tubum lacrymale immissum fuit; at ferme ubique, ob exesum tubum, in substantiam osseam scabramque specillum impingebat, & magna resistantia circa medium  
cana-



canalis ossi detinebatur. Potui tamen hanc superare, & in narem usque specillo descendere. Quo obtento coetera prosequutus sum ad methodum superius jam descriptam, hac solummodo differentia, quod præter penicillum, plura adhuc gomera, ex filamentis confecta, ad replendum spatium, ab evacuato pure superstes, adhibui. Spongiam præparatam etiam aliquoties immisi, ut vulnus diutius fatisque hiaret. Apice retuso lapidis infernalis æque pluries usus fui, ad citius consumendos induratos facci parietes.

Vix octo effluxerant dies ab incepta cura, & jam ossium fragmenta, & squammulas in superficie educti penicilli digitis eum contractando depre-

G 4                    hen-



hendebam. Quod multoties deinde tum in eodem penicillo, quam in turunda per totum canalem immiffa contigit experiri.

Cura hæc ad ultra duos menses protracta, filo serico alterum ex auro confectum, ut superius innuimus substituebatur. Nil amplius incommodi ex eo tempore femina perpeffa est. Hæc cum scriberem adire non neglexi, & optime valentem reperi. Cuique artis curioso eam pro lubitu invifere facultas est, in platea, Germanice dicta, *Herrens Gaffen*. Pluries viderat Ill<sup>mus</sup>. Præfes van Swieten; lætatusque est de tam facili, constantique curatione, absque vel minima fupervite deformitate peracta; vix enim



nim nudis oculis incisionis stigma deprehenditur.

Casum non multum a precedente abfimilem offerebat præfatus egregius Hiaus, dum curæ nostræ commendaret Dominum de Gruber. Ab annis 30. hic tubum lacrymalem obstructum habuit. Primis decem annis humor redundavit per puncta lacrymalia; exin verò incepit coadunari in sacco lacrymali, tumoremque excitare. Dum me adivit, eodem fere modo exterius affectus erat, ac præcedens Femina. Ipsissimam ac in ea curam institui. Materies in tumore contenta ejusdem ferme coloris erat, ac illa quæ tunicam oculi, Ruyschianam dictam, oblini. Sæpissime in amota turunda offium fragmenta inspiciebam. Hunc



verò, curæ suæ diligentissimum, spatium 6. hebdomadarum sanum, & incolumen ad negotia remisi. Ab eo tempore optime valet, in platea dicta Passaur Hoff.

Alios omittimus casus, in quibus nostra hac methodo, in cura Fistulæ lacrymalis (morbi nempe Viennæ Endemii) eo feliciter evasimus, quo tot miseris, habitos incurabiles, facili a deo negotio redemimus. Hinc est, quod cum ratione, tum experientia suffulti, probè de ejusmodi præstantia methodi sentire putamus, dum proferimus vix casus excipiendos, in quibus ratio hæc curandæ Fistulæ lacrymalis non sufficiat, aut saltem si qui dentur, quibus non integre conducatur, eos habendos esse quavis alia hæcenus comper-



perta methodo desperatos, de quibus inferius dicam.

Nunc pauca circa regimen eorum, qui curam nostram subeunt, adnotanda. Rigorofam Diætam nemini prescribere solemus. Dummodo haud comitentur Fistulam gravia symptomata; ut essent validæ inflammationes, intensique dolores, aliaque id genus. Tunc enim ab alimentis crassioribus, vel alcalinis abstinendum; quorum loco diluentia antiphlogistica substitui-  
mus. Præterquam quod vix erit vel modice in phifica humani corporis initiatu-  
sus qui non sentiat, quod quo parcius nutriantur ii, qui ejusmodi morbo laborant, eo minor futurus sit ad caput, & vias lacrymales humorum confluxus: proinde minus dilatabuntur vasa  
fa-



facilior erit constrictio, & resistentia eorundem vasorum, quæ ob nimiam dilatationem crassiores fundebant humores, quam par erat. Quilibet æque sentiet, quod si humores acrimoniam aliquam induerint, (a qua sæpe morbus hicce dependet) idoneis ipsa remediis interne exhibitis attemperari debeat; alias difficulter bene cederet cura topica a nobis proposita. Æque si viscera non essent apta ad bonos & permeabiles condiendos humores, deberent quantum artis est immediate corrigi, ne suo defint muneri. Quo vero ad Fistulas incurabiles, eas esse ducimus, vel quæ a causis dependeant, invincibilibus; vel quæ a fabrica penitus exesa atque consumpta. Exempli gratia impossibile existimamus curare



rare Fistulam lacrymalem, quæ a tumefacto ultimo osse turbinato, orificium inferius tubi lacrymalis occludente, penderet. Hujusmodi casus vidimus præcipue in luë venerea affectis. Dum recens morbus est, potest tumor resolvi, at ubi induratus, tunc ferme impossibile. Neque cura tunc obtineri potest, sine magna operatione in qua simul aperiatur naris. At de hisce in peculiari dissertatione de cura polypi narium erit quod agam; sunt plane admiranda ea phænomena, quæ ex contagio venereo lacrymalibus viis, ac præsertim ossibus easdem sustinentibus superveniunt. Quamobrem si Fistulæ inde enascenti opportune non succurratur, brevi incurabilis evadit. Nec sola peculiaris cura externa sufficit,



cit, oportet iis interne uti quæ vim de corpore virus venerum eliminandi possident, quæque, ut notissima, silentio prætereo. Interdum etiam cancrum ulcus vel Fistulam lacrymalem precedit, vel ipsi supervenit. In utroque casu sanatio penè impossibilis, nisi cancrum labes simul auferatur. Dum Parisiis per ultra quinque annos frequentassem magnum illud nosodochium (L' Hôtel Dieu), in quo brevi anni spatio, ultra quadraginta milia hominum, sexus utriusque confluent, amplissima occasio fuit, cum omne morborum genus expendendi, tum methodos curæ experiendi: Pluries igitur vidi hujusmodi ulcera cancrum foede faccum lacrymalem invadentia: Si pro cura ignis applicatio erat,



erat, triftissima ut plurimum confequebantur effecta. Quamobrem ratione atque experientia fuffulti ab hoc formidabili remedio abftinendum ducimus. Ambabus vero ulnis recipimus, quod Clariffimi Doctoris Störck Studium atque folertia, inventum fupeditarunt: infufum nempe, & extractum cicutæ, ut cancro fuccurratur.

Quinimo ubicunque confueto pertinaciores fint Fiftulæ lacrymales, non abs re putamus uti pilulis ex extracto cicutæ confectis. Ineft illi extracto, quantum ab experimentis judicare fas eft, fingularis humores incidendi virtus, per proprias vias movendi, evocandi etiam, nec non e corpore nocua eliminandi; ideo & ftagnantes humores resolvendi motum & circulum una

cum



cum fanitate restituendi. Ne autem videamur hoc præcario dixisse, unum & alterum exemplum afferre ducimus, unde cicutæ virtus vel incredulis pateat, credentibus vero quanti facienda sit, vel pro Fistulæ lacrymalis curatione innotescat.

Aderat ante annum virgo 20. circiter annos nata, dudum pertinacissimam Fistulam sub mento gerens, ad usque contigui ossis substantiam pertinentem: variis in cassum adhibitis, consului tandem pilulas ex extracto cicutæ. Ipsemet 300. propinans, ut fumeret; initio unicam, mane, meridie, & vesperi: progressu binas qualibet vice, cuilibet ex iis pilulis binorum granorum pondus inerat. Vix sumperat medietatem, at Fistula penitus



nitus clausa erat, nullo superstitite tumore, vel duritie. Sumpsit & reliquas; ab eo tempore affecta pars, evasit sanissima. Rediit multoties, ut aspicerem. Monui ut Illustiff. Baronem van Swieten adiret, atque oretenus initia morbi, progressum, & curam proferret ipsa, confirmaretque, uti poterat, quæ literæ meæ ipsi traditæ exponebant, id quod fecit diligentissimè.

Æque proficuas alteri curandæ Fistulæ expertus vel ipse sum cicutæ pilulas. Invadebat Fistula ductum illum salivalem Warthonianum dictum; pars quidem corporis præ variis morbis, duris etiam atque lapideis concretionibus subjacens. Id quod non inutile meminisse; dantur enim, qui

H

licet



licet artis omnem ambitum percurrif-  
se sibi imaginentur, attamen ex igno-  
ratis hujusmodi causis, vel ob anato-  
miæ neglectum, miris nominibus flu-  
dent innuere, atque confundere cum  
ipsis causis effectus, qui tantummodo  
obstructionem illius ductus necessario  
consequuntur. Hinc vocant Herni-  
am eam glandulæ Maxillaris inflatio-  
nem, quæ impeditum salivæ effluxum,  
five excretionem consequitur, Herni-  
nam hanc topicis remediis frustra cu-  
rare intendunt. Ridet siquis super-  
veniens dicat morbum a lapillo in e-  
jusdem Glandulæ excretorio ductu  
concreto pendere, proinde floccipen-  
dunt, imo periculosam ægris tradu-  
cunt operationem ad removendum  
lapidem propositam. Tandem ex e-  
ven-



ventu convincuntur. Verum ut de  
Fistula eundem ductum aliquoties in-  
vadente incæptum prosequamur; ex-  
emplum obtulit futor qui jamdudum  
eadem molestabatur. Multa adhibu-  
erat remedia, inter quæ etiam subli-  
matum corrosivum spiritui vini ad-  
mixtum, in Nosocomio sancti Mar-  
ci, sibi in cassum propinatum. Ipse  
quoque variis mediis curationem ten-  
taui: ductum incisione dilataui: col-  
lyria injeci ad eum detergendum; at  
frustra hæc omnia. Huic demum ci-  
cutæ pilulas administravi, eodem  
modò sumendas ac præcedens puella.  
Brevi postea loco foetidissimi puris  
totum palatum, totamque digestio-  
nem insipientis, prodiit lympa subti-  
lis, tantaque copia, ac exprimi natu-




raliter solet. Sic revalebat æger ab incomodo, quod etsi in tam exili particula hæreret, tamen totum corpus cachochymicum, ne dicam cachecticum reddebat. Ab eo tempore vegetum ac uxoratum video.

Porro si darentur hujusmodi casus ubi viæ lacrymales, etsi apparenter restitutæ, tamen pertinaciori Fistula denudò afficerentur: id quod, etsi rarissimè, aliquando tamen obvenire posse haud negamus; tunc id specifici ea, qua par est, cautela adhibere, & prudens & consultissimum erit. Id enim quod ad Artis emolumentum, adeoque salutis commodum inventum exploratum, atque compertum est, in auxilium vocare, Prudentiæ humanitatis, Religionisque esse puto. Nihil-



hilque præterea decumbenti medico  
gravius, quam quæ aliorum studium,  
& labor optima suppeditarint, negle-  
ctui habuisse, ac extulisse, quæ minus  
ratione atque experientia probantur;  
nonnullorum fortunæ, & laudi detra-  
xiffe.





## *Explicatio Tabularum.*

### Tab. I.

**F**ig. 1. Repræsentantur viæ lacrymales integræ, coeteris a partibus segregatæ.

A. B. bini tubuli, five canaliculi a punctis lacrymalibus (cc.) incipientes.

A tubus lacrymalis major, cujus portio punctis superstans, dicitur pars ejus amplior five saccus: portio verò jacens infra puncta, dicitur pars tubi inferior, five minus lata; suo foramine (d) cum nare communicans: opposita extremitas (e) totaliter clausa, sacci fundus nuncupata.

Fig. 2. viæ lacrymales per medium discissæ, ut pateat interna earumdem cavitas, nec non granula glandulosa,  
ten-



(de quibus cap. 1.) majoris distincti-  
onis causa nonnihil aucta.

Fig. 3. A. tubus major Palpebris ap-  
pensus.

A. B. puncta lacrymalia.

Fig. 4. A. tubus major in situ vero,  
resecto naso, eoque substantiæ osseæ,  
quod ne tubus conspiceretur, impedi-  
mento erat.

B. Antrum naris sinistrae.

C. Ultimatum os turbinatum.

D. Specillum, ex puncto lacrymale  
superiore in tubum lacrymale im-  
missum, descendens ad usque antrum  
naris.

E. locus, ubi extremitas tubi lacry-  
malis membranæ pituitariæ, narem in-  
vestienti, inseritur.

A. Ligamentum palpebrarum.

Fig. 5. A. cannula ex argento con-  
fecta B. stylus in illam inductus.

vel



Fig. 6. A. cannula ex auro confecta,  
quæ in sua cavitate recipit filum, ex  
auro vel illud confectum.

Tab. II.

Demonstrat quomodo (finita ope-  
ratione) inducti fili serici altera extre-  
mitas ejusdem exeat per punctum la-  
crymale, altera autem per narem.

Tab. III.

Exhibet ad vivum Fistulam lacry-  
malem magis completam, utrumque  
oculi canthum majorem occupantem;  
locum, & magnitudinem incisionis.





*Præcipui errores**Correcti.*

Pag.	11.	Lin.	3.	aliis partibus	aliis a partibus
	17.	—	1.	qua	quam,
	29.	—	13.	obsorpta	absorpta
	60.	—	16.	quidem	quidam
	63.	—	3-4	consumptorum	consumptorum
	74.	—	18.	obfolvenda	absolvenda
	82.	—	13.	sine unco	sive unco
	93.	—	5.	æpilope	Ægilope
	96.	—	15.	16. dehonorari	dehonerari
	98.	—	9.	qua	quæ
	102.	—	5.	ipsis que	ipsisque

---

## Monitum Bibliopego.

Hæ correctiones ponendæ ad calcem operis; dein sequentur Tabulæ.



Principij erroris

1. In illis quibus	1.
2. In illis quibus	2.
3. In illis quibus	3.
4. In illis quibus	4.
5. In illis quibus	5.
6. In illis quibus	6.
7. In illis quibus	7.
8. In illis quibus	8.
9. In illis quibus	9.
10. In illis quibus	10.
11. In illis quibus	11.
12. In illis quibus	12.
13. In illis quibus	13.
14. In illis quibus	14.
15. In illis quibus	15.
16. In illis quibus	16.
17. In illis quibus	17.
18. In illis quibus	18.
19. In illis quibus	19.
20. In illis quibus	20.
21. In illis quibus	21.
22. In illis quibus	22.
23. In illis quibus	23.
24. In illis quibus	24.
25. In illis quibus	25.
26. In illis quibus	26.
27. In illis quibus	27.
28. In illis quibus	28.
29. In illis quibus	29.
30. In illis quibus	30.
31. In illis quibus	31.
32. In illis quibus	32.
33. In illis quibus	33.
34. In illis quibus	34.
35. In illis quibus	35.
36. In illis quibus	36.
37. In illis quibus	37.
38. In illis quibus	38.
39. In illis quibus	39.
40. In illis quibus	40.
41. In illis quibus	41.
42. In illis quibus	42.
43. In illis quibus	43.
44. In illis quibus	44.
45. In illis quibus	45.
46. In illis quibus	46.
47. In illis quibus	47.
48. In illis quibus	48.
49. In illis quibus	49.
50. In illis quibus	50.
51. In illis quibus	51.
52. In illis quibus	52.
53. In illis quibus	53.
54. In illis quibus	54.
55. In illis quibus	55.
56. In illis quibus	56.
57. In illis quibus	57.
58. In illis quibus	58.
59. In illis quibus	59.
60. In illis quibus	60.
61. In illis quibus	61.
62. In illis quibus	62.
63. In illis quibus	63.
64. In illis quibus	64.
65. In illis quibus	65.
66. In illis quibus	66.
67. In illis quibus	67.
68. In illis quibus	68.
69. In illis quibus	69.
70. In illis quibus	70.
71. In illis quibus	71.
72. In illis quibus	72.
73. In illis quibus	73.
74. In illis quibus	74.
75. In illis quibus	75.
76. In illis quibus	76.
77. In illis quibus	77.
78. In illis quibus	78.
79. In illis quibus	79.
80. In illis quibus	80.
81. In illis quibus	81.
82. In illis quibus	82.
83. In illis quibus	83.
84. In illis quibus	84.
85. In illis quibus	85.
86. In illis quibus	86.
87. In illis quibus	87.
88. In illis quibus	88.
89. In illis quibus	89.
90. In illis quibus	90.
91. In illis quibus	91.
92. In illis quibus	92.
93. In illis quibus	93.
94. In illis quibus	94.
95. In illis quibus	95.
96. In illis quibus	96.
97. In illis quibus	97.
98. In illis quibus	98.
99. In illis quibus	99.
100. In illis quibus	100.

Methodus

The conditions of the

Methodus

Methodus

Methodus

Methodus

Methodus

Methodus

Methodus

Methodus

Methodus

Methodus

Methodus

Methodus

Methodus



Methodus

Methodus







Fig. 4. Tab. 1. Fig. 6. Fig. 5.






*Fig. 4. Tab. I. Fig. 6. Fig. 5.*



*F. 3.*



*F. 1.*



*F. 2.*













T. II.



J. Schmutzer sc.



T. II.



J. Schmutzer sc.











T. III.



J. Schmitzer sc.





T. III.



A. Schmuizer sc.



















III 1123


X 2536527

III









B.I.G.

Farbkarte #13

NATAL. JOSEPHI PALLUCCI  
AUGUSTISS. IMPERATORIS, ET IMPERATRICIS  
REGINÆ CHIRURGI, ACADEM. REG. SCIENT.  
ET REG. CHIRURG. PARIS.  
CORRESP., &C.

METHODUS  
CURANDÆ FISTULÆ  
LACRYMALIS.



---

VINDOBONÆ,  
TYPIS JOANNIS THOMÆ TRATTNER, CÆSARÆ  
REG. MAJESTATIS AVLÆ TYP. ET BIBLIOP.

---

MDCCLXII.

